



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

108.

122

Carmina gratulatoria,

NUPTIIS

ORNATISSIMI JUXTA AC PRÆSTAN-  
tissimi viri,

DN. IOHANNIS

GEORGII GODESCHALCI,

J. U. C. solertissimi, SPONSI,

CUM

*Lectissima pudicissimaq; virgine,*

MARIA, AMPLISSIMI ET CON-

SULTISS. VIRI, DN. BARTHOL. CHÆRICII,

J. U. D. & Principp. Anhalt. Cancellari-

rii quondam meritiissimi, fidissimi, &c. p. m.

*filia dilectissima,*

a. d. 21. Octob. Anno 1614. solemni-  
ter celebrandis,

*Nuncupata, & consecrata*

ab

AMICIS ET PROPINQVIS.

Typis descripta per Zachariam Dörffe-  
rum, ANNO ut supra.

108

DALIOH

MARIA

Iste





Eximio juveni,

Dn. JOHANNI GEORGIO GO-  
DESCHALCO, LL. Studiofo,

ET

*Virgini lectissima MARIÆ, Amplissimi &  
Consultissimi viri, Dn. Bartholomai Geriken I. V. D. & Cancel-  
larii quondam Anhaltini, & c. p. m. relictae filiae,  
νεογάμοις.*

**V**ITA quid est aliud, nisi juncta DOLORE LABORUM  
Tela cuiq; suo, quem dant pia Fata, reguntq;,  
Pertexenda modo, superas dum Spiritus auras  
Terrestri hac repetat carnis compage solutus?

Quàm gratum est igitur Collegam habuisse LABORIS  
Constantem, promptum, corde, ore, manuq; fidelem,  
Qui non detrectet partes perferre virileis,  
Pronus ad obsequium, promptumq; ubicunq; levamen:  
Tàm gratus collega viro, sociusq; fidelis  
Uxor amata venit, quæ in amore, & more jugali  
Obsequiosa suum perfert ubicunq; maritum,  
Exequiturq; suas parili sub pondere partes.

Quàm porró ægrotis præsens medicina DOLORIS,  
Solamenq; ægro socium est habuisse malorum:  
Tàm præsens medicina viro, tàm dulce Levamen  
Rebus in adversis uxor, comes una fidelis,  
Seu per amœnula, seu per dura ægrè trahendum.

A 2

Gaude

Gaude ergo, nove Sponse, novâ de conjugè, gaude,  
Et pia quam jungunt tibi fata amplectere Sponsam  
Inq; LABORE bonam sociam, inq; DOLORE medelam:  
Tuq; novum, nova Sponsa, virum tolerare lubenter  
Adsuesce, & munus quod poscit utrinq; jugale,  
Utrinq; ad Pylios pertextite suaviter annos.  
Sic thalamus jucundus erit, sic mensibus octo  
Elapsis opus artificem, nova nupta maritum  
Laudabit, fausto procedentq; omnia gressu.

Hæc precor, & quæ me lassum quartana precari  
Plura vetat medio sternens conamine Musam,  
Vestra petat, capiatq; FIDES, firmetq; JEHOVA.

*apprecabar*

*Johannes Sturmius  
Reip. Servest. Syndicus.*



Ad Doctissimum DN. Sponsum.

**H**Ætenus in Clario sudasti Palladis horto,  
Gnaviter evolvens sinuosa volumina juris.  
Ast mirum multis, cur factus apostata, amori  
Te totum dando? Nos sic occurrimus illis.  
Sicut non eadem semper colit arva colonus,  
Verùm nunc illis, nunc his sua semina mandat:

*Sic*

Sic tu qui doctas coluisti feruidus artes,  
Legisti & libros aequo de jure docentes;  
Incipis ecce aliam, Jova duce, vivere vitam,  
Evolvisq; alium magno conamine librum,  
A quo non unquam, nec divellèris in ævum.  
Dic mihi, Sponse, quid hoc libri? quid distet ab illo  
Est qui de Themide, & scriptus de jure libello?  
Alter & alterutro quid præstet? quî ferat usus  
Majores, age dic, & eris mihi magnus Apollo.

Interea salvam salvo cum corpore vitam  
Opto Sponse tibi, suaves cum compare amores,  
Ipse Deus nostris addat compluria votis.

Christianus Augustus Gericke. ~~\_\_\_\_\_~~



A L I U D.

**N**unc mea Musa tuas, si quid potes, exere vires,  
Magna sonaturum nunc modularè melos.  
Nunc GOTSCHALCIADEN Sponsum, Sponsamque  
MARIAM,  
CHERICIO, fas sit concelebrare, fatam.

A 3

Nunc

Nunc fidibus, nunc voce decet te ludere lætâ,  
Ac tua nunc resonet talia verba chelys.  
Quàm benè, quàm bellè thalamo sociantur in uno  
Legitimi tam par nobile conjugii!  
Tota verecunda est, nec non pudibunda MARIA,  
Tota pia, & verè tota MARIA proba est.  
Totus & est etiam pius, & probus, atq; jocundus  
Sponsus, & en Sponsæ totus amore calet.  
Totus amore calet Sponsæ, complectitur illam,  
Et facit officium non minus illa suum.  
Quam benè nunc ergo thalamo sociantur in uno  
Legitimi tam par nobile conjugii,  
Absit Eris thalamo, dulcis concordia præsit,  
Cedat & huic, poterit quicquid obesse, toro.

*Godefridus Schauerus  
Bernburgensis.*

---

A L I V D.

**D**Ulm, GODSCALCE, decus perenne Phabi,  
Atq; idem Themidos perite mysta,

*Nexus*



Nexu connubij tibi MARIAM,  
Lectam, candidulam, piam MARIAM,  
Adjungis stabili; tibiq; Sponsam  
Virtutum vario decore factam,  
Et formæ roseo colore pictam,  
Et morum lepido nitore amictam  
Adsciscis, thalamiq; jure donas;  
Ut tecum placidè dehinc futuros  
In verâ pietate vivat annos,  
Et vestrum genus augeat tenellâ  
Natorum serie: meis phaleucis,  
Incomptis, rudibus, malis phaleucis  
Ist hanc ecce tibi beatitatem  
Leta fronte, hilariq; mente grator.

αὐτοχρηδίαζων παρέρηκε

Abrahamus Ulricus  
Seyffert-Anhaltinus

AD DOCTISSIMUM ET POLI-

ssimum Virum-luvenem Dn. Iohannem Georgium  
Godescalcum l. V. C- Sponsum.

PLaudite Thespiades, numerosum pangite carmen,  
Et bona nunc SPONSO dicite verba novo.

Sponsus

Sponsus adest, vestri quondam pars maxima cætus,  
Quem decus & virtus lucida ad astra vehunt.  
Huic nova SPONSA venit, morum gravitate decora,  
Sponsa puellarum flos, Venerisq; decus.  
Plaudite, ferte melos, iterum bona dicite verba,  
Optantes thalamo prospera quæq; novo.  
Dicite Nestoreos absolvat SPONSUS ut annos,  
SPONSAq; Cumeæ secula vatis agat.  
Dicite: sed summi summus moderator olympi  
Audiat, & votis annuat usq; bonis.

*Christophorus Colerus VVitebergâ Saxo.*



**O**ptata fulget lux toties tibi,  
O Sponse cultor justitiæ sacræ,  
Qua præstinarunt fata, vincla,  
Vt thalami socij subires.

Idcirco gratanti tibi pectore,  
Lingua faventi voceq; gratulor  
Godscalce, cui virgo pudica  
Sponsa datur tribuente Jova.

Cujus genus si carmine persequi,  
Ac dona vellem pectoris ardua,  
Et corporis dotes, dies me  
Deficeret, simul atq; verba.

*Sis temma spectes; hoc celebre est satis,  
Nam nata sponsa est sanguine nobili*

*Charicij, Jurisperitum*

*Sideris eximij ac ocelli.*

*Spectoris dotes: habitaculum*

*Omni vocari jure potest chori*

*Sedesq; virtutum universi,*

*Atq; domus Charitum decora.*

*Ad hęc venusto corpore prędita*

*Incedit, atq; ut sidera Lucifer*

*Splendore vincit: sponsa formā*

*Sic reliquas superat puellas.*

*O Jan-Georgi sponse, bonis tua*

*Cum sponsa tantis condecorata sit,*

*Gaudeto grates personando*

*Munifico meritas Jehovę.*

*Amoris & honoris ergo  
accinebat*

*Ioannes Keulichius Dessav.*

*Anhaltinus.*

*B*

*ALIUD.*

A L I U D.

**M**Acte jam Sponsi titulo, novellâ  
Maete fortunâ, GODESCHALCE gaude  
Nam tuum jam intrat pede non morante

Virgo cubile

**M**A R I A, en vinclo focias jugali  
Quam tibi, adjutrix tibi quæ laborum,  
Gaudij concors simul, ac dolorum

Dulce levamen.

Ergó, ter felix pote nuncupari,  
Dum tibi hæc tradit sua cuncta, teq;  
Corde sincero colit, & flagranti

Ardet amore.

Quæ tuum ut pectus semel occupavit,  
Illius vivax te edit ecce flamma,  
Hanc colis, donec tibi vita quondam

Liquerit artus.

Hoc tuum coeptum bené cedat, imò  
Hoc tuum coeptum facilis secundet

**I**H O V A, quæ vitæ sibi poscit usus

Largiter addat.

Huc ades, firmis duo corda necte  
Vinculis, jungens thalamo jugali,

Absq;

Absq̄; te friget VENUS, huc adesto,  
O Hymenæe.

Huc ades JUNO, sobole & penates  
Impleas, mensam decorante matrem,  
Ac patrem factis superante avosq̄;  
Arte peritos.

Huc ades regina Gnidi Paphiq̄;  
Sperne dilectum Cypron: huc adesto  
Fervidus tecum Puer, ac pari suc-  
cendite flammâ

Hos novos nuptos. Eris at cubili  
Exulet semper, procul & faceffat,  
Sit torus concors, domus ipsa tota  
Pace virescat.

Quin nec inmites quoq; fila vitæ  
His in juventâ refecate, Parcæ,  
Nestoris quin hos superare terna  
Secula detis.

*Georgius Halitius Bernburgo - Anhaltinus.*

F I N I S.





№ 1996

8

U

ULB Halle 3  
 002 063 808



Sh

nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ulatoria,  
is  
A AC PRÆSTAN-  
ri,

ANNIS  
ESCHALCI,  
i, SPONSI,

*naq; virgine,*

SIMI ET CON-  
THOL. CHÆRICII,  
nhalt. Cancell-  
idissimi, &c. p. m.

614. solemni-  
is,  
secrata

PINQVIS.

chariam Dörffe-  
supra.

108.  
122